

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Prorector Academiae Fridericianae Henricus Bodinus, Ict.
Tribunalis Regii Ecclesiastici, Qvod In Ducatu Magdeb. Est,
Consiliarius, Ivr. que Prof. ...**

Bode, Heinrich

[Halle], [1709?]

VD18 13540262

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-195910



Non poterat homo lapsus in gratiam & salutem restitui, nisi ipse Deus requireret hominem, & ipse rursus se demitteret ad hominem pro summa sua misericordia. Requisivit ergo, nec sibi reliquit seductas oves Pastor ille Opt. Max. sed sub ipso iudicio, quod debebatur lapsis, *redemptionem* & *medicinam* constituit poenitentibus, quum & cum bonitate & cum iustitia & cum veritate sanctissime conuenire probe sentiebant.

Ita respirabant sensim Protoplasti nostri a metu *seruili*; Ebr. 2, 14. 15. Luc. I, 74. 75. 79. 69. 30. quia miserationis diuinæ facies ex ipsa *lata sententia* præfulgebat: saluo semper pudore, qui iam *filialis* euaserat, coniunctus cum admiratione caritatis diuinæ tenerrimæ, usque ad profundissimam huius adorationem, suique reciprocæ demissionem, & susceptionem onerum vitæ huius humillimam. Vitam reddebat *gratia*, sed magnitudine sui reddebat eosdem & relinquebat quasi attonitos. Vulnerantur nempe corda credentium amoris sublimitate, quo excelsior is est, qui in ipsum lacum miseriæ nostræ seipsum demittere voluit, ac veluti deportare. Ipsum remedium, quod tantum erat, admonerat semper de grauitate lapsus: & per omnes annos suos recordari ex accessu Dei renouato poterant, quam longe recessissent prius.

Hanc salutis portam atque ianuam, auctis subinde reuelationibus efficacissimis, patentiore redditam reperimus per totum sacrarum literarum *σύνταγμα*. Hanc Iacob vidit in curis suis omnis benedictionis scalam, quæ constituta erat in terra, cuius summitas per-

per-

pertingebat ad coelum, ascendentibus & descendentibus angelis, & Iehoua stante supra eam, ac loquente sursum de benedictione omnium familiarum terrae in Semine promisso. Vnde solatium Iacob cepit abundantissimum, sed cum stimulis reuerentiae maximis. *Quam reuerendus, inquit, est hic locus! Non nisi Dei domus est locus hic, & porta caeli.* Gen. 28, 11-17. Ioh. 1, 51. 14. 4. Gal. 3, 16. 14.

Eodem sensu imbutus David subsistit coram Iehouah, & prostravit se totum, solus coram solo, & cantauit deinceps hymnos & psalmos vberrime de verbo salutis huius; vt ne tentare quidem audeamus enarrationem laetitiae & reuerentiae Davidicae; tam ingens illa est. 2. Sam. 7. Act. 13, 25. 23. 16. Luc. 1, 69. 71. 77. 78. 2, 10. 13. 19. 26. 29. 38. 51.

Quod si vero ita affectos videmus Patriarchas illo tempore: quid in sanctorum cordibus credendum effloruisse, vbi venit plenitudo temporis! Vel ad prima verba salutationis Angelicae turbabatur Maria, benedicta illa in mulieribus: etiam cum deinde collegisset animum mater Domini, adhuc cum exultatione certauit venerabundi pectoris humilitas submissima, tanquam ancillae Domini, inter ipsas congratulationes Elisabethae. Exclamat enim Elisabetha voce magna, dicens: benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini ad me? esurientes, respondet Maria, impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Luc. 1, 29. 38. 43. 47. 53. 66. 76.

His exemplis constat, quid sibi velit Paulus Apostolus, quando MYSTERIVM τῆς εὐαγγελίας vocat, quod *Deus manifestatus est in carna.* 1. Tim. 3, 16. Sensus nostros transcendit totius religionis Christianae sacramentum, quia totum est *mysterium* diuinum: *fidem* tamen sibi parit in cordibus per verbum, quia est vis & veritas diuina, notum faciens nobis *mysterium* voluntatis diuinæ, secundum ipsius εὐδοκίαν seu beneplacitum, & intimam beneuolentiam. Eph. 1, 9. 13. 3, 3. 9. euangelium seu *bonum nuntium salutis nostrae*, ad salutis nostrae rationes plane plenaeque dispositum atque ita nobis aptum redditum benigna dispensatione gratiae, vt verbum, quod per se est viuum, nobis quoque fiat viuificum, *fide & receptione dignum.* 1. Tim. 2, 15. deriuans
in

in cor contritum *caritatem* illam Dei, ex qua *Verbum caro factum* est. Ioh. I. 14. 16. 18. 29. 36.

Inde habent Christiani thesaurum *sacramentorum* noui testamenti: inde ingressus & accessus ad omnia bona cælestia. VITA MANIFESTATA est, & vidimus & testamur, & adnunciamus VITAM AETERNAM, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Quod vidimus & audiuius, annunciamus vobis, ut & vos COMMUNIONEM habeatis nobiscum, & COMMUNIO nostra sit cum Patre & cum Filio eius Iesu Christo. Et hæc scribimus vobis, ut gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum. 1. Ioh. I. 2. 3. 4. In hoc apparuit CARITAS Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est caritas: NON quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris, 1. Ioh. 4. 9. 10. Per viscera misericordie Dei nostri, in quibus nos visitavit Oriens ex Alto. Luc. I. 78. 69. 35. Ideo ingrediens mundum dicit Sacerdos noster summus: hostiam & oblationem noluit, Pater, CORPVS autem aptasti mihi, ut faciam, Deus, VOLUNTATEM tuam: in qua VOLUNTATE (submissa) sumus consecrati per oblationem immaculati CORPORIS Iesu Christi semel. Ebr. 10. 4. 10. 2. 14. 15. reconciliati IN CORPORE CARNIS SVÆ, per mortem, ad exhibendos nos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso, Col. I. 22. Rom. 8. 3. 4.

Ita nata iam est plana *εὐδοκία* seu beneplacitum in hominibus. Luc. 2. 14. 11. *εὐλογία* & laus Dei. Luc. I. 64. 68. 2. 28. 33. Marc. XI. 9. 10. Apoc. 5. 13. Rom. 9. 5. ex illo nempe fonte omnis *εὐλογίας* seu benedictionis diuinæ. Gal. 3. 14. 16. 4. 4. 5. quia in ipso reconditi sunt omnes thesauri, & in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis *σωματικῶς*, ut de hujus plenitudine haurienda sint diuina bona omnia. Col. 2. 3. 9. 10. 11. Ioh. I. 14. 16.

Vocatur ergo MYSTERIVM *τῆς εὐσεβείας*, non ideo tantum, quod hoc pro fine habet *εὐσεβείαν*, sed ideo etiam maxime, quod non habeat aliam in se adfectionem, non aliam habeat indolem, quam *τῆς εὐσεβείας* seu promptissimæ ac intimæ VENERATIONIS erga Deum, qui in carne nostra pro nobis sub carne laborantibus manifestari in Christo voluit. Quod *μυστήριον* hoc humanitatis Christi, sit ipsa illa corona & co-

ronamentum τῆς εὐσεβείας; quod sit plenum illud promtuarium, receptaculum, & arca omnis unctionis spiritualis, & ex omnibus venis & visceribus suis nil nisi sanctitatem spiret; mysterium devotionis, profundissima humilitate agnoscentis tantam demissionem & εὐλάβειαν (Ebr. 5, 7-9.) Filii Dei sanctissimi: basis illa totius cultus religiosi & omnis inuocationis cum fiducia: mysterium, quod consistit totum in coniunctione sui veneranda & admiranda nobiscum, & communione reciproca. Totus meus, Immanuel: & ego vicissim totus ipse, ut in catechismo nostro profiteamur. Ipse ὁ ἁγιάζων, consecrans: nos οἱ ἁγιαζόμενοι, consecrati, ex uno omnes. Ebr. 2, 11, 14. Missus ipse quidem in similitudine carnis peccati: revera autem fuit absque macula peccati. Rom. 8, 3. Ebr. 4, 15. 7, 26. 1, 9. ut scilicet esse posset noster ἁγιάζων, nos medios inter insultus carnis peccati sanctificans; qui est τὸ ἅγιον, sanctuarium. Luc. 1, 35. Dan. 9, 24.

Mirifice confirmant tantam causam, quæ ex antiquitate ecclesiastica reperimus collecta in Martini Chemnitii libro *de duabus naturis in Christo*. Inde nobis repetere liceat illud Athanasii: *assumpta caro, ab eo & in eo inungitur & sanctificatur, ut sanctificatio, quæ in Dominum, ut in hominem, infertur, in homines deinde ab eo dimanaret. Dum enim caro in illo primum sanctificatur, & ipse dicit, se, ut hominem, propter carnem gratiam Spiritus suscepisse: factum est, ut nos eam ex plenitudine illa dimanantem accipiamus, utque in posterum ea, quæ is in carne accepit, ex carne illius in nos firmiter possidenda traderentur. Sicut enim prævaricante Adamo, in omnes homines peccatum dimanavit: ita Domino iam homine facto, ac serpentem conculcante, in omnes homines vigor eiusmodi transmeavit. c. 23. 25. Et Cyrilli illud, quod Domini corpus etiam ipsum, coniuncti Verbi virtute salutis atque sanctificationis causa sit participantibus, & ad benedictionem μυστηρίου fiat adeo ἐνεργητικόν, ut possit sanctificationem suam nobis immittere.*

Adam, ipse ibidem scribit Chemnitius, per lapsum amiserat Spiritum sanctum, & caro propter depravationem non erat capax Spiritus S. sed in persona Christi humana natura rursus uncta est Spiritu, non ad mensuram, sed ut omnes diuinas suas virtutes in illa operetur, atque per illam Spiritus ipse cum donis suis

is effundatur super omnem carnem c. 24. Conferri possunt, quæ toties dicit idem Chemnitius de Christo, qui *Saluator* noster sit & merito & efficacia, coniungente se nobis communicatione & participatione illius naturæ, qua frater noster est, & nos caro de carne eius. ad Matth. I, 21. 23. Eph. 5, 25-30 32.

Non est ergo iners & otiosum *mysterium*; neque nos vel tantillum de hoc prolatum volumus inani speculandi animo: sed totum est, inque ipsa sui constitutione & nativa ratione, *μυστήριον τῆς εὐσεβείας*. Hoc ostendit docentibus, adeoque etiam dicentibus, quomodo oporteat *versari in domo Dei*, quæ est ecclesia Dei viui. Inde est *columna & firmamentum veritatis*. Inde habendum *mysterium fidei in conscientia pura*. 1. Tim. 3, 15. 16. 9. Hoc vult fieri obsecrationes pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni *εὐσεβεία* & decentia. Idenim bonam est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis peruenire. Vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei & HOMINVM HOMO Christus Iesus. 1. Tim. 2, 1-5. 14. 15. 3, 15. 16. *Mysterium* hoc nihil habet commercii cum laruis hypocriticis, sed vult *εὐσεβείαν* realem, œconomiam diuinam in hac ipsa vita conformem & submissam. 1. Tim. 4, 1-7. 8. 9. 5, 4. 6. 13. 15. 6, 1-3. 5. 6. 11. 2. Tim. 3, 5. Hoc inclinatur omnium ordinum homines, imo cogit vi sua gratiosa, ad demittendum se mutuo ac fideliter ad homines, ut ipse Dei Filius se demisit ad homines in forma serui. Phil. 2, 4. 5. seq. Tit. 2, 9-11. seq. 3, 1-4-7. 8. 1, 1-3. 4. 15. 16. Marc. 10, 42-45. 14. 15. 16. 2. Petr. 1, 3-7. Hoc post se trahit certissime voluntariam abnegationem huius seculi, ut fides victoria fiat de mundo. 1. Ioh. 5, 4. 5. 19-21. Tit. 2, 12. 11.

O NOSTRI! Vobis etiam denuo iam aperitur campus reco-
lendi sacra vestra. Vobis etiam panditur de novo accessus ad præ-
sepe & fascias Salvatoris vestri. Vobis etiam uti adhuc fruique
licet tanto beneficio. Tenetis, iterumque hac vice admonemi-
ni, qua *reuerentia* fideles exceperint & fouerint intra se verbum
salutis ac gratiæ: explore, quæsumus, res vestras, & ante omnia
in se quisque inquirat serio ac diligenter.

Non negamus, surgere passim ex fecibus huius seculi multa
offendicula; prostrerni a multis fundamenta pietatis, quantum in i-
psis est; proscindi conuiciis; ne dicamus nunc de iis, qui nesci-
mus

maus quæ μορμολύχεια Deificationum, Christificationum, & similia, maligne collecta malignius expandunt, μυστήρια τῆς ἀσεβείας, tenebris suis relinquenda.

Iterum dicimus iterumque, inquirere potius unumquemque debere in semetipsum, unde sit defectus venerationis seu εὐσεβείας; quam sane secum fert Christiana religio. Nempe defectus reuerentiæ oritur ex defectu & abiectioe debitæ curæ animæ. Hæc cura ubi abest, imo elicitur animo & repellitur per vim conscientie factam: inde propullulant mala omnia in infinitum.

Novit Dominus suos, nosque etiam in vestro cœtu observamus animos abhorrentes ab eiusmodi neglectu & contentu rerum diuinarum; causam tamen nobis esse conquerendi de aliis quibusdam, vno vel altero exemplo pro officio, quod incumbit, alibi ostendimus. Debet vero ordo vester nosterque aliis bono exemplo esse, ne vlllo strepitu turbetur vel vilipendatur ecclesia Dei, vel polluat publicæ recordatio beneficiorum Christi, aut præcludantur alii ab auditu verbi diuini. Quæ omnia nobis vobisque denuo inculcata volumus; imo & dehortamur nos inuicem ab omni alio irreuerentiæ & peccandi genere.

Causas etiam æquas habemus ineunte hoc brumali tempore, vt nos hortemur mutuo, ne pauperum, qui certe non desunt in grege nobis commissio, obliuiscamur, sed membra ordinis nostri caritate benigna & ordinata foueamus. *Nostis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quod propter vos pauper factus sit, cum esset dives, vt vos Ipsius paupertate ditesceretis.* Ita scribimus probaturi τὸ γινῆσιον dilectionis vestræ. 2. Cor. 8, 9. & vt agnoscatur Christus in iuiis. Marc 9, 41. Matth. 10, 42. 25, 35. 2. 2, 11. exemplo eorum, quorum inde quoque laudatur εὐσεβεία. Act. 10, 2. Luc. 7, 5. 22. 2. Petr. 1, 7. Sunt enim hæc γεννήματα haud vltimæ iustitiæ, si non absconderimus nos a carne nostra, nec pudeat nos regni Christi. Es. 58, 3. 7. 8. sq. 2. Cor. 9, 10. 2. Reg. 4, 1. 38. Nehem. 8, 1. 10. 12. Hagg. 1, 9. Hæc etiam promptitudine commonstremus, in honore nobis esse magnum illud εὐσεβείας mysterium, quod Deus manifestatus est in carne. 1. Tim. 3, 15. 16. 6, 17. 18. 19.

P. P. Halis in Fridericiana Academia, A. D. M. DCC. IX. ipsis feriis natalium Domini.

Litteris Chr. Henckelii, Acad. Typ.